



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et  
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ  
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransensis Thesaurarij  
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

**Barbosa, Agostinho**

**Venetiis, 1643**

10. Subditi Episcoporum nulla appellatione suspendere possunt  
executionem visitationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14108**

1. **V**ide Nauarr. *conf. 11. de offic. ordin. in antiq. a lias conf. 12. de maior. & obed. in nouis. Sayr. in floribus. decis. sub illo tit. de officio ordin. decis. 11. in princip. Zerol. in praxi Episcop. part. 1. verb. visitatio § 11. Azor. in sit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 40. prope fin. Aloyf. Ricc. in collect. decis. part. 4. collect. 1153. Franc. Leon. in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. 2. num. 74. Armendar. in addit. ad recop. legum Nauarra lib. 1. tit. 6. l. 5. § 2. num. 13. Rota decis. 501. part. 2. recent. & apud Tamburin. in fine tom. 3. de iuro Abbatum decis. 67. per tot. vbi dicit quod vicinior praesumitur Episcopus loco nullius contra quem causa committitur. et decis. 68. metupsum de officio. et potest. Episcopi part. 3. alleg. 74. a num. 5.*
2. Et nullo modo huiusmodi seculares Ecclesias nullius diocesis posse effugere visitationem vicinioris Episcopi censuit Rot. decis. 396. part. 1. recent.
3. Si vero locus nullius diocesis sit in aliqua diocesi, visitationem spectare ad Ordinarium, in cuius diocesi est locus nullius, refert decisum ead. Rot. decis. 501. num. 5. part. 2. recent.
4. Vicinior Episcopus potest visitare beneficia secularia, & clericos seculares Abbatia nullius diocesis, ipsosque culpabiles repositos corrigere, & dicitur vicinior Episcopus tantum ille, cuius cathedralis Ecclesia sit Abbatia proximior, non autem locus dictae Abbatiae subiectus, ita Sel. in select. canon. cap. 37. num. 10. attestans sic fuisse decisum sub die 2. Augusti 1596.
5. **E**tiam exemptorum visitatione. Vide Franc. Leon. d. part. 2. cap. 16. num. 28. Fr. Emman. quest. regul. tom. 1. quest. 36. art. 3.
6. Collegatas nullius diocesis visitari debere a viciniori Episcopo, testatur resolutum Zerol. decis. d. verb. visitatio §. 11.
7. **V**ide ab Episcopo, &c.] Episcopum legitime impeditum posse ex facultate sibi tradita in hoc decreto, Ecclesias, quae nullius sunt diocesis, per suum Vicarium generalem visitare, tenet Sel. decis. d. cap. 37. nu. 1. vbi asserit sic fuisse resolutum sub die 17. Ianuarii 1585.
8. Sed huiusmodi potestatem non transire in Vicarium a Capitulo Sede vacante constitutum, tradunt Franc. Leo in thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 10. num. 8. vers. 10. Aloyf. Ricc. in praxi aurea resol. 118. num. 4. Ego ipse d. alleg. 74. num. 8.
9. Neque in Praelatum viciniorum habentem iurisdictionem quasi Episcopalem, vt per Flores de Mena var. lib. 3. quest. 24. num. 24.
10. **V**isitentur.] Episcopum proximiorum habentem facultatem visitandi Ecclesiam Parochialem nullius diocesis, habere etiam facultatem emendandi, corrigendi, & puniendi tam in capitula, quam in membra ex quavis causa, asserit decisum Franc. Leo d. p. 2. cap. 2. num. 74. in fine, quem refero d. alleg. 74. num. 7.
11. **N**on obstantibus priuilegijs, &c.] Vide Rot. apud Tamburin. in fine tom. 3. de iure Abbatum decis. 67. nu. 5. vbi dicit haec verba comprehendere quascumque personas quantumvis priuilegiatas, & decis. 68. resolutum quod Ordinatio non est inhibendum in exercitio iuris visitandi omnes Ecclesias suae diocesis quantumvis exemptas, non obstantibus quibuscumque priuilegijs concessis ante Concilium Tridentinum.
12. **E**t consuetudinibus, &c.] Praecedentibus scilicet, & non factis, iuxta resoluta per Anguan. de legibus lib. 2. controu. 20. num. 21. & 22.

*Subditi Episcoporum nulla appellatione suspendere possunt executionem visitationis.*

C A P V T X.

- 1 Doctores de materia cap. agentes.
- 2 Episcopus in visitatione quando possit procedere appellatione remota.
- 3 Episcopus in visitatione reformato processu & seruatis seruandis procedens admittit appellationem.
- 4 Appellatio datur si Episcopus in visitatione procedat in exemptos contra eorum priuilegia.
- 5 Episcopus quibus conceditur facultas vt procedant etiam tanquam Sedis Apost. delegati, an in dubio censeantur procedere vt delegati.
- 6 Episcopus non tenetur visitationem concludere intra certum, & determinatum tempus.
- 7 Episcopus potest praestituere terminum Archidiacono ad visitationem expediendam.
- 8 Appellatio suspensiuam tantum, & non deuolutiuam tollitur vbi Episcopus visitat non compilato processu.
- 9 Appellatio si interponatur in visitatione ab Episcopo suffraganeo etiam tanquam Sedis Apost. delegato debet interponi ad Metropolitanum solum quoad effectum deuolutiuum.
- 10 Episcopus quando ex Concil. Trident. procedit, vt Sedis Apost. delegatus in causis, quae sub eius iurisdictione non comprehenduntur, non potest ab eo nisi ad Sedem Apost. appellari.
- 11 Episcopus in visitatione non potest recusari tanquam suspectus.

**E**piscopi, vt aptius, quem regunt, populum possint in officio, atque obedientia continere, in omnibus ijs, quae ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, ius & potestatem habeant, a etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, iuxta canonum sanctiones, & quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione ac diocesis suae utilitate necessaria videbuntur. <sup>a</sup> Nec in his, vbi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, <sup>γ</sup> aut vlla inhibitio, <sup>δ</sup> appellatio, <sup>ε</sup> seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam, interposita, executionem eorum, quae ab his mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquomodo impediatur, aut suspendatur.

<sup>a</sup> Supra sess. 21. de refor. cap. 1. & sess. 25. de refor. cap. 1.

1. **V**ide Lancellot. de atten. et innouan. appell. pend. limit. 18. in princip. num. 6. Ruginell. de appellat. §. 2. cap. 3. num. 6. Soar. de Pace in praxi tom. 2. part. 5. cap. unico num. 14. Gabr. Berari in speculo visit. secul. cap. 27. p. 62. Mendez a Castro in praxi Lusit. p. 2. lib. 2. cap. 3. num. 32. Cui. Philip. part. 1. §. 7. num. 10. Marchesan. de commiss. part. 1. de commissione appellationum extra Curiam Rom. cap. 6. num. 78. Fr. Emman. quest. regul. tom. 2. quest. 16. art. 2. Franc. Leo in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. 2. num. 77. Armendar. in addit. ad recop. legum Nauarra lib. 1. tit. 6. de visitat. num. 104.

cum sequent. Thom. Valasc. allegat. iuris tom. 1. allegat. 70. n. 5. cum segg. Sayr. in clauis Regia lib. 8. cap. 2. num. 13. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. num. 61. Aloyf. Ricc. in praxi aurea resol. 7. Saigado de protecl. Regia tom. 1. part. 2. cap. 10. num. 26. Stephan. V. Veyms ad concit. 24. ex iure antiquo desumptas, et per Concil. Trident. innouatas, constit. 17. num. 14. Gabr. Pereira de manus Regia part. 1. c. 7. a prime. late supra sess. 13. de reformat. cap. 1. num. 5. cum segg. Ex quorum dictis colligitur.

Episcopum in his, vbi de visitatione, aut morum corre-

correctione agitur, omni & quacunq; appellatione, seu querela, etiam ad Sedem Apost. interposita remota, quæ executionem nullo modo impedire, aut suspendere valet, posse procedere, punire, & exequi, dummodo procedat sine processu, & sine scriptis, etiam carcerando, & carceratos detinendo, tunc enim si carcerati appellauerint, posse iudicem appellationis cognoscere de prætenso excessu in corrigendo, interim tamen non impediri, aut suspendi executionem eorum, quæ ab Ordinario sunt decreta, de quo supra *sess. 13. de reformat. cap. 1. num. 5.*

3. Vnde Episcopo formato processu, & seruatis seruandis procedente non habere locum huius decreti dispositionem, refert decifum Franc. L eo d. num. 77. tunc enim appellationem quoad utrumque effectum admitti dixi supra *sess. 13. de reformat. cap. 1. post num. 7.*

4. Dari tamen appellationem, si Episcopus in visitatione procedat in exemptos, seu aliàs priuilegiatos contra eorum priuilegia, resoluit Marches. *dict. num. 78.* Aloyf. Ricc. d. *resol. 7. num. 3. vers. verum.* Ego ipse d. *allegat. 73. num. 34.* & citati supra *sess. 13. de reformat. cap. 1. num. 5. in fine.*

5. *a. Etiam tanquam Sedis Apost. delegati.* An in dubio procedere censeantur vt delegati? vide Nauarr. *conf. 32. num. 8. de sentent. excommuni. in antiq. Monach. de presump. lib. 2. pres. 17. num. 4.* Mascard. *de probat. concl. 945. num. 15.* Cened. *ad Decretal. collect. 157. num. 1. metipsum de officio. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 92. num. 10. eum seqq.*

6. *β. Quæ illis ex prudentia sua, &c.* Episcopum non tene visitationem concludere intra certam, & determinatum tempus, neque ad hoc Concilium vllum prescriptis, sed reliquisse arbitrio Episcopi, illudque debere esse discretum, & moderatum, refert decifum Aloyf. Ricc. in *praxi rerum fori Eccles. decif. 717. in 1. edit. aliàs resol. 608. num. 1. in 2. edit. Armendar. in addit. ad recopil. legum Nauarra lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis num. 113.* Ego ipse *dicta alleg. 73. num. 39.*

7. Posse tamen ipsum Episcopum præstituer terminum Archidiacono ad visitationem expediendam, & prescribere comitatum, & equitatum, ne oneri sit Ecclesijs, quas visitauerit, asserit resolutum Piasc. in *praxi Episcop. part. 2. cap. 3. vbi de visitatione quorundam exemptorum, num. 62. pag. 213.* quem refero Ego ipse d. *alleg. 73. num. 39.*

*γ. Aut vlla inhibitiõ.* &c.] Intelligit Salzed ad Bernard. in *praxi. Canon. cap. 79. littera B. vers. est tamen circa superiora,* vt hoc Decretum procedat quando iudex superior non iustificata appellatione, nec visis actis processus inferiore non inhibere contendit; sed si postquam appellatio iustificata fuerit ex processu iam ad tribunal appellationis delate inhibitiõ concessa fuerit, erit obtemperanda; nec poterit inferior iudex ad suæ sententiæ executionem procedere, aliter quidem Superiorum iudicum auctoritas & potestas non vulgarem iacturam pateret, dareturque causa inferioribus iudicibus, vt prohibito iudicarent, & multis causis appellationis auxilium nihil proficeret, & alia multa incommoda sequerentur, quæ prorsus aliena sunt à mente sancti Concilij Hactenus Salzedo.

8. *δ. Appellatio.* ] Suspensiuæ scilicet, & non deuolutiuæ,

vt per Villadieg. in *speculo visitat. fol. 35. num. 31.* Erasim. à Cochier de *iurisd. Ordin. part. 2. q. 14. num. 5.* Thom. Valasc. *allegat. iuris tom. 1. alleg. 70. num. 5. in fine.* contra Gonzal. Mendez de Cabedo *diuers. argument. lib. 1. cap. 19. a num. 8.* existimantem in causa visitationis effectum suspensiuum appellationis tolli solum vbi agitur de correctione morum. Verum hac in re optime Narbona *l. 59. gloss. 1. num. 148. tit. 4. lib. 2. Recopil. distinguit inter sententiam diffinitiuam, & interlocutoriam, itaut in causis visitationis à sententia diffinitiuæ quoad effectum suspensiuum tantum appellari prohibeatur, supr. sess. 22. cap. 1. de reformat. à sententia autem interlocutoria in causis visitationis non solum quoad effectum suspensiuum, sed etiam quoad effectum deuolutiuum appellatio interdicitur, & refert quod proposito dubio in sacra Congregat. An quod statuitur decreto Concilij *sess. 13. cap. 1. ne in causis visitationis, & correctionis, siue habitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Episcopo ante definitiuam ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine appelletur, ita intelligendum sit vt nullatenus appellari & cognosci possit de grauamine huiusmodi, vel potius quod citra præiudicium cursus causæ coram Episcopo, possit Metropolitanus cognoscere de grauamine ante definitiuam, & ad effectum prædictum absque vlla inhibitione mandare simpliciter quod sibi transmittatur copia processus expensis appellantis? Respondit non posse Metropolitanum cognoscere de grauamine ante definitiuam, nec mandare vt sibi transmittatur copia processus.**

9. Si in visitatione appellari contigerit ab Episcopo suffraganeo, etiam tanquam Sedis Apost. delegato, debere appellari ad Metropolitanum quoad effectum deuolutiuum, non quoad suspensiuum, refert decifum Piasc. d. *cap. 3. num. 61.* Zerol. in *praxi Episcop. part. 2. verb. visitatio §. 3.* Aloyf. Ricc. in *praxi aurea resol. 449. num. 2. prope fin.* Ego ipse *dicta allegat. 37. num. 35. & alleg. 92. num. 14.*

10. Episcopus quando ex Concil. Tridentin. procedit vti Sedis Apostol. delegatus in causis, quæ sub eius iurisdictione non comprehenduntur, non potest ab eo nisi ad Sedem Apostol. appellari, neque ex hoc inferioribus iudicibus vllum sit præiudicium, refert decifum Garc. de *benefic. part. 4. c. 5. num. 12.*

11. *α. Sen querela, &c.* ] Non posse Episcopum in visitatione recusari tanquam suspectum, dum tamen in ea processum non compleat, & se intra visitationis terminos contineat, sicut etiam in preparatoria inquisitione non posse vt suspectum recusari, neque probatione, vel allegatione suspicionis impediri quominus pœna extraordinaria, quæ morum correctiõnem, & emendationem respiciat, visitatos, asserit decifum Garc. *part. 3. cap. 2. num. 198.* Gabr. Pereira de *manu Regia part. 1. cap. 7. num. 18.* Salgado de *protecc. Regia part. 2. cap. 15. nu. 63.* Mendez de Castro in *praxi Lusitana part. 2. lib. 2. cap. 3. numer. 35.* vbi cum Gabr. Pereira citato loco, subdit visitatorem posse tanquam suspectum recusari, quando ante visitationem fuerat iam iudicatus suspectus. Armendar. in *addit. ad recopil. legum Nauarra lib. 1. tit. 61. §. 2. num. 7. & 8. vbi num. 34.* fecus dicit si in visitando modum excesserit, refero Ego ipse d. *allegat. 73. num. 38.* vbi ad litteram transcripti quoddam Breue Pauli V. fel. rec. super hoc transcriptum Reuerendi. Episcopo Portugal. *sub dat. 29. Octobris 1610.*

*Episcoporum iuri nihil est derogatum ob honorarios titulos, & priuilegia particularia, nisi, &c.*

## CAPVT XI.

- 1 Doctores de materia cap. agentes.
- 2 Protonotarij an & quando exempti sint à iurisdictione Episcopi.
- 3 Protonotarius honorarius tam in ciuilibus, quam in criminalibus causis fori priuilegio gaudet.
- 4 Referendarij de numero sunt exempti.
- 5 Referendarij cedunt præcedentiam Auditori Confidentiarum.
- 6 Subcollectores spoliatorum tam in officio, quam post ab Ordinarij iurisdictione exempti sunt.
- 7 Subcollectores non possunt visitari nec corrigi ab Episcopo.